



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Septem Illustrium Virorum Poemata

Amstelodami, 1672

Ad Stephanum Abbatem Gradium. Cùm Alexander VII. Pontifex Maximus
renuntiatus esset.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11215

A D

STEPHANUM ABBATEM
GRADIUM.*Cum ALEXANDER VII. Pontifex
Maximus renuntiatus esset.*

SI mihi quæ dextro tibi numine sæpè vocantur
 Auxilio blandi carminis Aönides
 Dictarent, quod nec feris venientibus annis
 Oblito doctorum effluat ex animo ;
 Nec præsens ætas, atroque imbuta veneno
 Infelix aufit deterere invidia,
 Supremæque favillæ, & nigri funeris expers
 Effugiat taciti temporis insidias ;
 Docte GRADI, mihi quem dulces ante omnia Musæ
 Junxere, & puro pectore culta fides,
 Et facilis vis eloquii, quæque aurea mentem
 Formavit dictis Attica Suada suis :
 Non sperem titulos, non laudes ire per omnes
 Maximi ALEXANDRI, aut inclyta facta virum,
 CHISIA queis stat fulta DOMUS, quos vivida virtus
 Extulit, aut propior sideribus pietas.
 Nam cui vel tantum præsens facundia, tantum
 Idem hominum dederit Cælicolûmque potens,
 Egregias laudes, æternaque facta referre
 Ut queat, & meritis versibus æquiparet ;
 Ille etiam, quâ desertas Libye invia terras,
 Brachiaque Europe porrigit Oceano,

A a

An-

Angusto quas divulgas absorbet hiatu ,
 Et brevis Herculeo dividit unda freto ,
 Quos malè contempsit præceps audacia fines ,
 Nil metuens vetitas leti aperire vias ,
 Enumeret , quot vicinæ tundantur arenæ
 Fluctibus , everfas cùm ciet Eurus aquas ;
 Aut quot vere novo submittat Dædala flores
 Aura Cytheriacis incola litoribus .
 Quis dicat Tuscas latè data jura per oras ,
 Æquoraque Herculeæ supposita speculæ ?
 Aut Macereti molli surgentia clivo
 Mœnia , & antiquis addita tecta jugis ?
 Heroïum tellus olim fecunda , vel armis
 Vel pace egregium qui peperere decus :
 Nunc tenues ibi reliquiæ vix nomina servant ,
 Lentaque pastoris fistula cogit oves .
 Indè tamen missi , qui cæli ingentia templa ,
 Et Divûm cœtu limina concelebrant .
 Felices turres , queis olim pauper arator ,
 Et salvis faciat frugibus agricola .
 Ecquis opes , cœnasque Deûm , quâ se atria tollunt
 CHISIA , Pompeiis æmula porticibus ;
 Quas subterlabens miratus Tybris ab amne est ,
 Credita dum celeres gaza moratur aquas ;
 Eque imo silvas speculatur , & aurea tecta ,
 Et pictos lusus , ô Galatea , tuos ,
 Artis opus miræ , pelago quam semifer omnis
 Tritonum insequitur , Nereidumque chorus :
 Ecquis regifico constructa altaria luxu ,
 Et ductas Libyco è marmore pyramidas ;
 Quæ sub ALEXANDRO priscum monumenta nitorem
 Ceperunt , ac turpe exuerunt senium .

Tot curas inter, terrarum & publica vota,
 Non hæc præterit provida mens animi.
 Quin & Niliacos moles imitata labores
 Cæstia, par tumulis, barbara Memphi, tuis,
 Hoc rerum Domino vastis egesta ruinis,
 Non debet fatis tristibus interitum.
 Nec solum antiqui redeunt hoc Principe mores;
 Antiquum sed cum moribus omne decus.
 Sit clarus licet ille, & quæ sol aureus exit,
 Et quæ se canæ Tethii restituit;
 Illius & latè referat nomenque decusque
 Cognatas inter Naiadas Eridanus:
 Eridanus, cujus cycnos hoc fama canente est
 Attonitos mediis conticuisse vadis:
 Quæque viris armisque potens sistentia contra
 Insula desertæ litora stat Libyæ,
 Et Mosa, & fumans civili sanguine Rhenus
 Ingentes titulos & benefacta ferant:
 Non reticenda tamen, functi æternas quibus ipsi
 Heroës grates pro studiis solvunt.
 Ille vel in teneris cum jam pubesceret annis,
 Atque ætas primum vivida ver ageret;
 Postquam animo sibi regnandum peragraverat orbem,
 Ortaque de primis omnia seminibus,
 Et propiore Deum spectaret lumine, quantum
 Mortales fas est tendere contra oculos,
 Multa fatis lufit: norunt silvæque lacusque,
 Muscosisque cadens Arbia pumicibus;
 Quæque viri indignum lugens Cornelia fatum,
 Hospitii testes numina poscit opem.
 Nec curas inter, JUVENILIA carmina Musas,
 Dimisit fessi delicias animi.

Adfuerunt semper faciles ad iussa Sorores ;
Et quamvis medio tenderet ille mari ,
Alpibus & quamvis , Alpes illæ , & mare sævum
Fontibus & sacris antetulere jugis.
Et loca nunc culto relegabant singula versu,
Nunc fera damnabant munera militiæ.
Quin scrutaretur dirum cùm viscera ferrum ,
Et leti inficeret pallidus ora color ;
Qualis Mæandri ripis , aut Asia cyncus
Dum ludit pennis per vada purpureis ,
Pectora transfixus , liquido de gutture voces
Elicit , ac gemitus litora pulsa iterant ,
Inspectans cælum , & tristes solatus amicos ,
Lenibat numeris vulnera flebilibus.
Intereà trepidum versans sub corde timorem
Adstabat Divis vota ferens Pietas :
Et nunc muta metu , misero nunc perdita luctu ,
Tendebat supplex brachia Cælitibus ,
Ne fessis olim missum succurrere rebus ,
Ante suum raperet mors violenta diem.
Sed jam pone metum Pietas : en Maximus Orbem
Sospes ALEXANDER temperat imperio.